



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archepresbytero Sancti Laurentij, Abbati sancti Gemini & sanctæ Mariæ  
Novæ & sancti Angeli de Spata, sancti Stephani de Platea Fraianorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

tionis obstaculo firmiter observari. Quod si non omnes & c. tu, frater Archiepiscopo, cum eorum altero ea & c. Datum Laterani 11. Kal. Octob. pontificatus nostri anno quartodecimo.

*AVELONENSI EPISCOPO,  
& dilecto filio Thesaurario & T. Canonico  
Thebanis.*

*Epist. 111.  
Confirmatur  
compositio fa-  
cta inter Ar-  
chiepiscopum  
& Capitulum  
Atheniense.*

**D**ilecti filij Atheniense Capitulum nobis humiliter supplicarunt ut compositionem inter eos ex parte una & venerabilem fratrem nostrum eorundem Archiepiscopum ex altera super ipsius Ecclesie redditibus ac facultatibus amicabiliter imit auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus compositionem ipsam, sicut ad utilitatem Ecclesie sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, ac in authentico inde confecto plenius continetur, faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari. Quod si non omnes & c. tu ea, frater Episcopo, cum eorum altero ea & c. Datum Laterani 11. Kalend. Octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*ARCHIPRESBYTERO SANCTI  
Laurentij, Abbati sancti Gemini & sancte  
Marie Novae & sancti Angeli de Spata,  
sancti Stephani de Platea Fraianorum.*

*Epist. 111.  
Confirmatur  
eis relaxatio  
procuratorum*

**C**um à nobis petitur & c. usque effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, relaxationem procuratorum quam venerabilis frater noster Raynerius Viterbiensis Episcopus sponte ac providè vobis indulxit, sicut piè ac providè facta est, & in instrumentis publicis noscitur contineri, auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo & c. usque nostrae confirmationis & c. usque incursum. Datum Laterani v 111. Idus Octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*ABBATI SANCTI STEPHANI  
Bononiensi, & magistro Gregorio decreto-  
rum Doctore Bononiae commoranti.*

*Epist. 114.  
Vt suspendant  
Episcopum A-  
lexandrinum.*

**I**lius testimonium invocamus qui testis est in caelo fidelis quod quantum ipse nobis donare dignatur, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, negotia quae ad sedem apostolicam perferuntur cum puritate ac honestate tra-

ctare ac expedire curamus, venalitate vitium, quod ex cupiditate procedit, quae radix est omnium vitiorum, omnimodis detestantes; sicut etiam illi possunt perhibere testimonium veritati qui pro diversis negotiis exequendis ad Romanam Ecclesiam frequenter accedunt, quam per divini muneris gratiam ab hujusmodi labis contagio servare satagimus expiatam; ut quod gratis accepimus, gratis demus, nullatenus sustinentes quod in causis ecclesiasticis aliqua pactio vel conventio seu etiam promissio intercedat: quatinus si quid interdum post finem negotij fuerit exhibitum, non per necessitatem extortum, sed per devotionem appareat esse collatum. Verum mirari cogimur & moveri super eo quod ab Alexandrino Episcopo didicimus attentatum, ex juramento quod ipsemet praestitit in causa quae inter ipsum & quosdam mercatores Romanos coram vobis ex delegatione nostra extitit ventilata; qui cum ab eo quandam repeterent pecuniae quantitatem, quam Romae suis procuratoribus mutuaverant litteras ejus habentibus de mutuo contrahendo, ipse suum recognoscens esse sigillum, quod littererat impressum, sed negans eas de sua conscientia processisse, constanter asseruit quod centum libras eis solverat pro expensis, & potestatem illis concesserat ut si possent forsitan obtinere quod Ecclesiae quae ad Alexandrinam Ecclesiam, sicut olim statutum fuerat accedebant, ire ad eam minime tenerentur, & quod idem Episcopus octo locorum Ecclesias pacifice possideret, usque ad centum quinquaginta libras mutuum contrahere liceret eisdem; si vero impetrare possent ut omnes possessiones Ecclesiae sancti Martini de Foris ad Alexandrinam Ecclesiam pertinerent, usque ad trecentarum librarum summam possent liberè à mercatoribus mutuare. Ex his quidem evidenter apparet quid de nobis idem Episcopus senserit, quos ad bona ecclesiastica concedenda per interventum pecuniae induci posse putabat, quidve dari mandaverit pro bonis ecclesiasticis obtinendis, cum expressè taxaverit quantum pro illis & quantum pro illis possent pecuniam mutuare. Quia verò non solum à malo sed ab omni specie mali praecipit Apostolus abstinere, nos zelo ecclesiasticae honestatis accensi, tantae praesumptionis ac turpitudinis malum corrigere cupientes, per apostolica vobis scripta praecipiendo mandamus quatinus auctoritate nostra suffulti praetatum Episcopum ab executione pontificalis